Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2807
Quelle:
Copyright:

ctimonia Vitae Sacerdotum. Autor ignotus. Tempus annus 1455.

III. *fol.* 8. *Collacio doctoris rudolphi de Bruxella. De corpore christi facta ad Vniuersitatem heydelbergensem. Anno* 1456. Initium: *Totus et vere omnis in me meus et nunc et pridem sitiebat et esuriebat sititque et esurit animus* &c. Rescribendum putem *de Bussela* vico *Sueviae*; talis enim *Rodulphus* s. *Radolphus* teste *Possevino Adp.* T. II. p. 349. inter alia librum *Sermonum* et *Orationes plures ad Patres* scripsit.

IV. *fol.* 11. p. 2. *Sermo popularis. de Corpore christi. Instruens communicantem. ad condignam preparationem &c. Doctoris widenberg.* Incipit: *Probet se ipsum homo* &c. *Notandum quod sicut experientia teste videmus* &c. *Doctor Widenberg* est *Johannes Pfeffer* Franco Orientalis *Heidelbergensis* primum, dein *Friburgensis* Academiae ornamentum, de quo post *Trithemium Scriptt. Eccl. n.* 88. copiose egit Vir cum de hac Academia, tum de omni re literaria optime meritus *Jos. Ant. Rieggerus* Eq. in *Amoenit.* suis *lit. Friburg.*

V. *fol.* post plura vacua 37. *Johannis Dieppurg de Francfordia* Doctoris *Heidelbergensis* Opusculum, quod fine titulo incipit: *Glorioso et inclito principi domino ludewico comiti palatino reni. sacri Romani impery electori et archidapifero Bauarie duci &c. Quidam clericorum et servorum suorum minimus* &c. *Quia nobilissimus animus vester circa sacram scripturam se solet frequenter occupare, cum tempus indulserit* &c. Congeries textuum est V. et N. T. quibus Divinitas J. C. et munus Messiae constabilitur maxime contra Judaeos. Unde et subscribitur: *Expliciunt concordancie in vnum collecte per egregium et eximium virum doctorem franckfurt contra Judeos et vocatur Malleus Judeorum.* Non innotuit *Malleus* hic *Trithemio* n. 764. *Gesnero* et *Fabricio*, qui Viri opera recensent; neque *Wolfii T. IV. Bibl. Hebr.* reperitur.

VI. *fol.* post 6. vacua 49. *Sermones* III. ἀδέσποτοι de Observatione Dierum festorum, inscripti *de festiuando.* Thema omnium trium est: *Observa diem sabati ut sanctifices eum. Deut. 2.* Initium vero primi: *Karissimi In hoc vtique Ius racio et consuetudo consentiunt* &c. Adjecta est in fine *Tabula.*

VII. *fol.* post 3. pura 73. rubro: *Tractatus contra bussitas Magistri Johannis franckfurtt. Editus Anno 1421.* Hoc Praeloquio: *Cum nuper videlicet Anno Domini 1421. in mense septembris Illustris et magnificus Princeps Dominus Ludouicus comes palatinus reni, sacri romani imperij Archidapifer et elector nec non dux bauarie cum ceteris reni coelectoribus reuerendissimis patribus et Dominis archiepiscopis personaliter in campo terre bohemie prope opidum* sacz *residentes illic suis fixis tentorijs ad subiugandum sancte romane ecclesie et katholice fidei rebelles hereticos scilicet de regno*

Bobe-